

B. M. II, 95.

A. 19, 16.

(X187 8975)

DISPUTATIO INAUGURALIS
JURIDICA
DE

II R
4114

PALLIO
EPISCOPALI,

Quam

PRÆSIDE

MAGNIFICO DOMINO

CHRISTOPHORO PHILIPPO

Richter / Jcto, Com. Pal. Cæs.

h. t. XVIII.

DECANO SPECTATISSIMO,

Pro Honoribus ac Privilegiis Doctoralibus
in utroque jure legitime consequendis

Solenni ventilationi exponis

JOHANN. CHRISTOPH. See /

Stadensis

JENÆ,

Literis Samuelis Adolphi Mülleri.

M DC LXXVIII



DISPUTATION IN AUCTORITATE
TERTIA

PALLIO

EPISCOPALI

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



ti
an
d
c
te
a
f
8
8
o





QVOD DEUS BENE VERTAT!

PRÆFATIO.



Am esse IMPERATORIS ROMANI dignitatem, ut nulli Papæ Romano subjecta sit, vel ex eo constat, quod IMPERATORES primi augustissimi sceptrum magnificentissime gesserint, antequam Papatus, qui secundo anno Claudii incepit, ulli hominum cognitus erat, docente hoc *Carpzov ad L. Reg. Germanorum. c. 2. s. 6. n. 35.* Neque verò solum laudati Imperatores Majestatem suam sine Paparum consensu vel arbitrio acceperunt, sed & multo post alii successores etiam Christiani, *Constantinus* scil. *Magnus* & *Theodosius* soli Deo, nulli verò Papæ suam auctoritatem debuerunt, prout hoc in sacrâ historia ostenditur manifestissime. Tantum verò abest,

a 2

ut

ut Papa Romanus ulla juris antiqui specie sibi potestatem temporalem vindicare possit, ut potius Christo ipsi, cujus aliàs Vicarium se jactitat, discretè contradicat, utpote qui teste etiam *Bellarmin. lib. 5. de Pontif. Rom. c. 4. lit. c.* nec executionem ullius regni nec potestatem ullius domini habuit: Sicut autem hoc tam manifestum est, ut omnem scripturam sacram ejurasse videatur, qui non tam Reges terrarum, quam discipulos Christi dominari affirmaret, ita in puriori quoque Ecclesiæ statu multi Pontifices suam dignitatem subjectam esse dominio Imperatorum ultrò confessi sunt, quemadmodum hoc ipse Gregorius Magnus Pontifex Rom. fatetur, cum Imperatorem Mauritium alloquitur hoc modo: Ego indignus Pietatis Vestræ famulus; fatetur quoque id ipsum Pelagius Papa, quando in epistola ad Childebertum Francorum Regem scribit: Regibus nos subditos esse sacræ scripturæ præcipiunt: fatentur hoc plerique alii. Verum enim verò quamvis hæc omnia jure meritoque ita se habeant, adolevit tamen sensim Hieronomonarchia vel potius tyrannis ista sacra hunc
in

in modum, ut fulmina Pontificiorum non solum Clerici & Laici sed & Reges & Principes repugnantes ipsorum voluntati persenserint: non enim veriti sunt Pontifices dignitatem atque imperium Regum & Principum partim aperte, partim per machinationes improbas imminuere atque labefactare. Cum autem magis magisque jugum hoc pontificiale Principes etiam ad interitum usque IMPER. potestate inclinante, persentiscerent, Respublica quoque inde maximum contraheret damnum, gravissimæ Germanorum querelæ ad Concilium Constantiense, anno 1416. inscriptæ Avisa-menta Constantiensia delatæ sunt. Querelæ vero istæ cum essent æquissimæ, Concilium Basiliense quidem ad ressecanda mala remedium suppeditavit, ast sine fructu. Pontificii enim ut machinationibus pleni, ita & hic eorum nihil omiserunt, quæ facerent ad everfionem suppeditati remedii, extortum itaque illud est nationi Germanicæ modo planè illicito: Eugenius namque Papa misit Oratores, inter quos Æneas Sylvius, qui nonnullis proceribus ut decretum è manibus dimitterent fu-

-lub

a 3

cū

cum obtrusit, & eum Frideticus III. Imp. recens electus, quo magis à Pontifice coronationem mereretur, huic petito annueret, faciliori negotio id quod voluit impetravit, sed cum de novo Ordines Imperatorem sollicitarent, ut pacta quædam tam ad defensionem sui ipsius, quam etiam Procerum contra deprædationes Romanas cum Nicolao V. Papa celebraret, prodita ista tandem sunt sub nomine Concordata nationis Germanicæ cum Nicolao V. Papa. Qualiæcunque tamen illa fuerint, nec ipsa servata sunt, nullo vel ad legem naturalem vel civilem habito respectu; nihil enim magis fidei humanæ congruum est, quam ea, quæ semel placuerunt, servare *l. 1. ff. de pact. Et l. 1. ff. de constit. pec.* grave est fidem fallere. Ægrè interim ferentes Ordines à Pontificibus sibi jura penè omnia eripi, novæ querelæ prodierunt, quæ Gravamina nationis Germanicæ, cum remediis & avisamentis Anno 1510. appellantur; reperiuntur autem *tom. 2. rer. Germ. Freheri fol. 373. Et apud Goldast. vol. der Reichs Schatzungen f. 215.* Potissimum verò concernebant querelæ istæ novissimæ abusum In-
dul-

dulgentiarum , Annatas atque Pallii immen-
 sum pretium , nec immerito ; Tantam enim
 Leo X. Pontif. Rom. per indulgentiarum nun-
 dinationem institore harum mercium per Ger-
 maniam Tezelio sibi iniquè acquisiverat pecu-
 niæ summam , ut & tandem Patres ipsos Con-
 cilio Tridentini hujus nundinationis puduerit,
 præceperunt igitur in quibuscunque Religio-
 nis Christianæ locis nomen atque usum quæ-
 stuum istorum penitus aboleri. Annatarum
 quoque si quis perpendit abusum , quis non
 videt per hanc exactiorem totum sæpe Archi-
 Episcopatum, Episcopatum &c. auro exhau-
 riri ; speciosa quidem ab initio erat causa
 Annatarum finalis, reservabantur enim con-
 tra Turcas , Saracenos aliosque Reipublicæ
 Christianæ hostes, sed usus conversus in ab-
 usum , hinc rectè M. A. de DOMINIS *de*
Republ. Eccles. lib. 9. cap. 9. num. 63. dicit:
 quemadmodum vectigalia à Principibus ex
 causa imposita , cessante quantumvis causa,
 non tolluntur , ita etiam Annatis contigisse.
 Per-

Permulta possent tam ratione indulgentiarum, quam Annatarum proponi, sed in præfamine prolixus nimis forem. Ego interim heic loci animum induxi paucissimis commendatissimam illam de *Pallio Episcoporum* materiam pro Inaugurali disputatione discutere, ubi si quædam minus exasciata posuero, veniam facile à Benivol. Lectore mihi polliceor, eo quod tum materiæ amplitudo, tum temporis angustia prohibuerint paucis pagellis ea comprehendere, quæ diffusissimis & prolixissimis Commentariis vix absolvi possunt. Deum O. M. summa animi religione veneror, ut instituto huic haud inhonesto clementissimè adesse, illudque Spiritus sui gratia ad exoptatissimum finem perducere velit.

C A P. I.

(9.)

CAPUT I.

DE

ORIGINE ET DEFINITIONE PALLII.

§. I.



Diffiteri quidem minime possumus eam esse Etymologiae vim & efficaciam, ut beneficio ejus in rei ipsius uberiores cognitionem aliquantulum deducamur, sed verò ut inani superstitione pleni apices verborum metiamur, varia criticorum somnia congeramus, Lexicographos operose compilemus, & quæ veterum omnium de originatione alicujus vocis sententia fuerit, prolixè afferamus, disputaturo minime convenire arbitramur. Alia enim est philologi, alia disputatoris ratio: priori utique necesse est ut de Etymologia, Homonymia, aliisque quæ vulgo Disputationibus præmitti solent non si-

B

ne

ne insigni lectoris fastidio abundè differat: Disputatori autem sufficere judicamus, si paucis vocem, quâ in significatione accipiatur, explicet, cæteris ad lectionem Lexicorum remissis: unde & nos cupidum hujus rei lectorem remittimus ad *Ravis. Text. offic. de re vestiaria & Neubus. theat. ing. hum. l. 2. c. 3.* aliosque qui de vestitibus ex instituto scripserunt.

§. II. Origo *Pallii* à variis variè proponitur, incerta tamen potissimum: Nam eo habitu tegendi corpus frequentissimè plerasque gentes usas esse probabile est, licet non præcisè nomine *Pallii* aut istiusmodi amiculi insigniverint. Inprimis autem constat ex *Sveton. in Aug.* idem illud, quod *Toga* apud Romanos, Græcis fuisse *Pallium*, quapropter & Græci *Palliati*, & Comœdiæ Græcorum ritu institutæ *Palliata*, sunt dictæ. Cum verò frequentissime legamus, Græcorum Philosophos *Pallium* ostentasse, eoque vestitu se à vulgo distinxisse, conjicimus *Pallium* solis gravitate & auctoritate præditi viris, mulieribus-

ve, ut placet *Rosino in Antiq. Rom.* usitatum fuisse. Non soli autem Græci *Pallio*, quod quasi chlamis quædam erat, collari tamen carens, utebantur, sed & Hebræi ut *PANCIROLLO Rer. memorabil. tit. 44. de Fibulo* videtur: *LACTANTIUS* enim *FIRM.* scribit, Salvatoris nostri vestem, quam milites inter se partiti sunt, pallium fuisse, tunicam autem inconsutilem (quæ adhuc *Francofurti* ex vulgi opinione adservatur) integram remansisse.

§. III. Postea verò ipsi Imperatores Græci pallio utebantur purpureo, gemmis adprimè ornato, quemadmodum Imperatoris *Valentiniani* galeam fuisse scribit *Ammianus Marcellus* teste *Pancirolo*: Ex quo postea factum est, ut qui genibus flexis purpuream Imperatorum vestem attingerent, sacram purpuram adorare dicti sint, quia scil. dextram manum, quamprimum hac purpuream ejus vestem attigissent, ad os admovebant

bant & suaviabantur, ut constat ex *l. 1. C. de ap. par. praefect. prat. l. 7 C. qui milit. poss. l. 4. C. de Consul.* Quod si *Petrum de Marca de concord. Sac. & Imp. l. 6. c. 6.* respiciamus, confitendum est, fuisse hoc Pallium genus Imperatorii indumenti ad talos usque demissi, cujus usum sibi solis instar proprii ornamenti reservarunt Imper. datumque fuisse dono ab Imppr. Episcopis in signum gratiae & honoris, quo uterentur in rebus Sacris peragendis : ubi tamen obiter notandum, Imperatores Episcopis (cum adhuc in puriori Ecclesia investituram & confirmationem ab Imperatore & plebe acciperent) non pallium sed annulum & baculum olim dedisse : per annulum indicabant Imperatores, se hunc hominem huic Episcopatu obstringere, per baculum verò (vulgò *der Bischoffs Stab*) se huic Jurisdictionem Ecclesiasticam h. e. iudicium de sacris cum publico quodam imperio conferre, vid. *HUG. GROTIUS de Imperio Summ. potest. circa sacra. c. X.* Illud autem investiturae

ge-

genus Henr. V. Calixto III. fulmine ejus bruto
 adactus cessit, sibi que reservavit, quod fit per
 Sceptrum vulgo *Scepter = Seln* / de
 quo aliàs.

§. IV. Quo autem præcisè tempore *Pallium*
 nostrū fuerit introductum, à nemine evidenter
 demonstrari potest, consuetudini maximā heic
 vim adscribendam judicamus, eo quod certum
 tempus nullibi assignetur, hinc & ipsius colla-
 tionem non tam ex veteri instituto Ecclesiæ,
 quam ex Apostolicæ sedis consuetudine fieri
 dicitur à Paschali II. Tamen satis antiquum
 videtur, Gregorius namque *lib. 1. epist. 27.* non
 solum narrat, se Anastasio, Patriarchæ Antio-
 cheno, hospiti suo, usum ejus ab Imperatori-
 bus impetrasse, verum etiam ab antiquis Præ-
 decessoribus suorum temporum pallium Are-
 latensi Episcopo datum, *c. 3. caus. 25. q. 2.* Imo
 multo ante : Seculo jam dum V. Valentini-
 anum Imper. Ravennati Episcopo honorem
 pallii concessisse *Baron. tom. 5. ann. 432.* refert:
 Nobis in re tam impedita & difficili quid sen-

tiendum sit, non facile est reperire. Primis quoque temporibus gratuitam pallii concessionem fuisse vel parvo constitisse, & per literas aut nuntios peti potuisse docet D. *Hildebrandus exerc. de Episc. §. 85.* Ast Hildebrandus cum adhuc esset Archidiaconus, ut fastum & avaritiam Pontificis altius eveheret, primus adinvenisse perhibetur, ut Archi-Episcopi & Episcopi pallii capaces, etiam è locis remotissimis, ipsi Romam peterent, & muneribus sat splendidis, adorato Domino, pallium impetrarent. De Lanfranco Cantuariensium Episcopo memorat *Baron. tom. XI. Anno. 1070.* quum per legatos suos pallium ab Alex. II. petisset, ab Hildebrando hoc tulisse responsum: *conveniens esse, ut ipse Episcopus Apostolorum limina salutaret.*

§. V. Episcopis verò ideò collatum esse *Pallium* non improbabile est, ut Symbolum esset conformitatis in fide & doctrinâ. Pelagius enim ne temerè assensu suo quemvis etiam inidoneum & imperitum Metropolita-
num

num approbari pateretur, jussit, ut fidem suam exponerent, atque ita pallium expeterent, h. e. assensum ejus cujus indicium erat pallium, c. *quoniam. dist. 100.* Atque huc facit, quod in historiis sacris legamus, defuncto ex Patriarchis uno, alium in locum illius electum confessionem pri⁹ edidisse, & suū fidei consensum aliis demonstrasse, antequam pallium, ut Symbolum Ecclesiastici muneris reciperet, uti hoc videre est ex epist. Greg. Magni ad Joh. Constant. Eulogium Alexandr. & Joh. Hieros *l. 1. reg. ep. 24.*

§. VI. Huc etiam tendit quod ex *Petro de Marca de conc. sacer. & Imp. Zieglerus ad Jus Canon.* explicatius proponit, qua fraude usi Pontifices seculo octavo pallii usum excogitarint, scil. ut Metropolitani hac ratione eo magis sedi Romanæ subicerentur. Illud ipsum verò cum animadversum fuisset ab Episcopis Gallicanis, hæsitasse eos in hoc negotio adeoq; Pontificem eis ostendisse Pallium non ob aliud Archi-Episcopis tribui, quam ut hoc exteriori signo à suffraganeis suis distingvantur &

& ad severiorem sanctioremque vitam admo-
neantur. Hæ fuerunt fraudes & insidiæ, queis
Gallicanos aliosque Papa circumvenit, ut ho-
norem Episcopalem affectantes Romæ palli-
um expeterent. Nemo interim à nobis ex-
spectabit, ut annum diemve certum heic ex-
ponamus, queis usus pallii invaluerit, nam &
cœteri ritus, ceremoniæ, festivitates & vesti-
menta tractu potius temporis, quàm directo
Ecclesiæ decreto invaluerunt, & quod dolen-
dum, vitio papatus in superstitionem & abu-
sum plerumque degenerarunt, uti hoc ex hi-
stor. Ecclesiast. facile ostendi posset, si instituto
nostro inserviret.

§. VII. Quod si ultimo loco definitio
quædam, aut rectius descriptio pallii à nobis
desideratur, eam heic loci suscipimus defen-
dendam, quam tradit *Matth. Stephan. lib. 3. de
Jurisdict. c. 12. n. 12.* Pallium est vestis genus,
candidâ lana contextum, humeros constrin-
gens, à quo duæ lineæ ante & retro pendent,
cui intextæ sunt quatuor cruces, duæ ante &
retro,

retro, & à dextris & à sinistris : infixi quoque sunt eidem tres acus ; vel Pallium est insigne ornamentum de corpore B. Petri assumptum, in signum plenitudinis Episcopalis dignitatis personis quibusdam Ecclesiasticis tributum, per c. 4. X. de auct. & usu pall. ibique Anton. de Butrio & Abbat.

CAPUT II.

DE

MATERIA ET RITU CONFICIENDI PALLIUM.

§. I.

DUm ad materiam PALLII accedimus, primo loco animadvertimus, quod in primitiva Ecclesia, cum primus pallii usu inceperit, quamlibet materiam vestimento conficiendo idoneam indiscretim adhibuerint : at verò cum tene-
C bræ

bræ papatus invalescerent, ad inanem superstitionem omnia paulatim transibant, ut cerei, loca sacra, campanæ cœtereq̃ue templorum suppellectilia certis ritibus solennitatibus que quasi sanctificarentur, & à vulgari usu removerentur. Unde etiam factum, quod & pallii materia ea scœminia & futili superstitione præparata sit, ut nunquam sine risu cordatæ mentis homo illud legere vel audire possit: In die etenim Virginis Agnetis, qui est Januarii dies XXI. in ejus templo Romæ, dum in sacris ministeriis imploratur *Agnus Dei*, super arâ statuuntur duo candidi agnelli, deinceps basilicæ Divi Petri Subdiaconis traduntur: Hi mittunt illos in pascua, ac verno tempore tondentur, ex eaque lana, permixta reliquæ lanæ, cum in filium diducta fuerit, parantur **PALLIA**; latitudo est trium digitorum, ab humeris propendent in pectus atque renes, in extremo firmitur tenuibus laminis plumbeis.

§. II. *Pallia* autem hæc conficiuntur Romæ à Monialibus Turris Speculi, uti ex *Onuphrio Panvino tract. de Sacrarum vestium generibus* juxta Magnifici STRAUCHII JCTi Illustris *Exerc. Exor. 12. th. 12.* refert *Johann. Bap. Vivian. in ration. jur. Canon. ad c. 7. X. de usu & auct. pall.* cum verò contexta sunt, tum deferuntur ad altare DD. Petri & Pauli, ibi certis expeditis precibus à summo Pontifice consecrantur, ac relinquuntur isto in loco per noctem unam: altera die Subdiaconi recipiunt, & honesto loco diligenter asservant, donec qui opus habet Archi-Episcopus, aut ejus Procurator sibi dari perit, quomodo eleganter hæc omnia describit Germaniæ nostræ *Livius, Johann. Sleidan. L. XIII. ad annum. 1541.*

§. III. Hinc ex corpore D. Petri sumi *Pallium* dicitur, *c. significasti X. ad fin. de Elect.* Dicitur autem ideò sumptum de corpore Petri h. e. super altare Petri, quia altaria primum erigi cœperunt super sepulchra

Martyrum & Confessorum, quæ altaria *Memoriae* dicebantur, M. A. de DOMIN. *de Republ. Ecclesiast. lib. 3. cap. 11. n. 8.* dicit : Conſuetudinem Alexandriae eſſe, illum Patriarcham, qui defuncto ſuccedit, excubias ſupra defuncti corpus agere, manumque dexteram capiti ſuo imponere : & ſepulto manibus ſuis accipere collo ſuo B. Marci Pallium, et tunc legitime ſedere : unde improbabiliſſime colligi neſcit quomodo poterit, quod Pallio in Oriente in Eccleſia Alexandrina aliud ſit nomen inditum, vocatumque B. Marci Pallium.

§. IV. Quid autem per cruces haſce quatuor, quæ pallio noſtro intextæ ſunt, inſinuetur, non una eſt Interpretum ſententia; Alii quatuor præcipuos affectus, alii quatuor virtutes cardinales, ABBAS *in rubr. de auct. & uſu pallii num. 5.* alii, ſiue ſatis probabiliter quatuor mundi plagas intelligunt, pari modo, uti Jeſuitis mitra quædam à Papa data eſt, quæ quatuor reſpicit plagas mundi, ut in quatuor orbis terrarum oras abire, verbumque
Dei

Dei prædicare debeant : sed certi nihil heic subest, cum ceremoniarum infinitus possit esse usus : Nobis nihil refert, quicquid demum intelligant, modo salva pietate et analogia fidei illud fiat. Idem quoque sentimus de tribus acubus aureis, una super humerum, aliis post tergum, quæ in summo lapillum quendam pretiosum habere dicuntur. Lectu interim non injucunda ferè verba judicamus, quibus usus Clemens Papa dum Salernitano Archiepiscopo concessit pallium : In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti Archiepiscopali pallio, nostrâ Apostolica manu dilectionem vestram insignivimus : quo utaris toties in anno, quoties prædecessores tuos eos usus fuisse constat. In quo quia de vellere ovium est, intellige te ovium pastorem, & quia circumcingeris, & etiam circa humeros portas, cognoscas & undiqve circumspicias, ne aliqua erret, & in morsus luporum incidat. Quod si aliquando, quod absit, contigerit, eam habeas in humeros ad caulam reportare,

& pristinae societati caodunare. Quod verò ante & retro crux Domini habetur, illud Apostolicum semper docet ante oculos tuæ mentis habere Gal. 6. mihi mundus crucifixus est, et ego mundo, ita refert *Baron. tom. XI. ann. 1047. Ex isto M. A. de DOMINIS de Republ. Eccl.lesiast. l. 3. c. 11. n. 18.*

CAPUT III.

DE

PERSONIS DANTI- BUS ET ACQVIRENTI- BUS PALLIUM.

§. I.

Inter personas PALLIUM conferentes Imperatorem fuisse supra ostensum est, ast cum de die in diem Papæ augetur potestas pallii hujus usum in suam Jurisdictionem convertit, et à se solo Archi-Episcopis dari voluit, Patriarchis autem Orien-

Orientalibus omnibus pallium conferendi antequam illud à se de Romana obtinuissent jus non esse expressè statuens *c. antiqua 23. X. de privil. Et excess. privilegiatorum* : cui iniquo Pontificis proposito se opposuit Rudolphus Mamistanus, Patriarcha Antiochenus, qui pallium de arâ B. Petri Antiochiæ sibi sumpsit, nec improbandum factum hocce, jus etenim jam quæsitum habebat, quod in expresso Decreto Concilii Niceni fundatum erat.

§. II. Quanquam etiam ab initio solis Archi-Episcopis & Metropolitanis pallium concessum fuerit, tractu tamen temporis Episcopus quilibet illud à papa redimere coactus est, prout protestantes apud *Hortlederum von Ursach des Teutschen Krieges fol. 661. num 44. indicant* : Für die Bestätigung eines Bischoffs muß man etc.

§. III. Sunt verò Patriarchæ qui primum post Romanum Pontificem tenent locum, , atque appellantur inde Patriarchæ quia

quia summo honore funguntur, & sunt quasi Patrum Principes, qui recensentur quatuor: Constantinopolitanus sc. Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus: prærogativâ quâdam gavisus olim est Hierosolymitanus pro Antiocheno, at in Concilio Lateranensi IV Hierosolymitanus post Antiochenum ultimo loco ponitur. Illud notandum tantam quondam habuisse potestatem Episcopum Constantinopolitanum, quantam habuit Romanus, jam verò Pontificii Assentatores Papam suum diversi ordinis esse volunt, ac longè majoris, quàm Patriarchas, utpote qui Patriarchas omnes infra se positos cernat: videtur autem quod huic prærogativæ viam aperuerit vox œcumenicus i.e. universalis: *Onuphrius* etenim *Panvin. in annot. ad Platin. sub Bonifac. III. inquit: Processu temporis illud usurpari cœptum, ut ambo Episcopi Romanus scil. & Constantinopol. œcumenici appellarentur, hic quidem universalis Patriarcha, ille verò universalis Papa; Auditumque ut Papa nomen solus*

solus Romanus Pontifex, cum ante omnibus commune esset *Episcopis*, retineret, quo uno & illo tantum particulari nomine potestatis eius dignitas & supra cæteras Ecclesias vetus prerogativa designaretur; cæteri verò quatuor *Episcopi* præcipuarum sedium Patriarchæ vocarentur, confer Petrum de Marca de Concord. Sacerd. & Imp. l. 1. c. 5. n. 5. qui, cum Gregorius Magnus per nomen *Episcopi* œcumenici talem *Episcopum* intelligeret, qui solus velit esse *Episcopus* à quo cæteri dependeant, ita, ut, quicquid habeant *Episcopalis* potestatis, id totum illi acceptum ferant, acerbè titulum istum perstrinxit, ac dixit vocabulum universalis *Episcopi* esse nefandum, profanum, stultum atque sceleratum.

§. IV. Dicuntur *Archi-Episcopi* qui sunt unius provinciæ *Episcoporum* Principes & præsules: In provinciis Occidentis *Metropolitani* omnes vocabantur *Archi-Episcopi*: In Græcia verò & per totum ferè Orientem soli honorarii *Metropolitæ* &

D

qui

quibus nulla provincia suberat, nulli Episcopi, vocabantur Archi-Episcopi ; apud scriptores Ecclesiasticos Archi-Episcopus aliquando idem quod Patriarcha, aliquando cum Metropolitanano coincidit , *Ruinold. in Colloq. cum Hart. pag. 369.* Metropolitanani verò sunt, qui præfunt civitatibus Metropolitanis & veri Metropolitanæ sese Metropolitanas civitatum suarum & provinciarum ἐξάρχουσιν inscripserunt , hodie voce Archi-Episcopi & Metropolitanani promiscuè utimur. De Episcopis eorumque constitutione hic quædam annecti possent, sed ne limites transgrediar & multa hic coacervem, B. L. remitto ad Magnifici Conringii tractatum de Constitutione Episcoporum Germaniæ & *Dn. Hildebrandum* de Episcopis, ubi inveniet, quæ vota facile explebunt.

§. V. Hisce igitur personis Ecclesiasticis *Pallium* fuit à Pontifice collatum, sed non uno semper eodemque modo , uti in capite seq. ostendemus.

CAP. V.

CAPUT IV.

De

USU ET AUCTORITA-
TE PALLII EJUSQUE
REDEMPTIONE.

§. I.

PRimis quidem temporibus nascentis adhuc Ecclesiæ usus Palliorum apud Sacerdotes non fuit, sed communi vestimento induti missas agebant, sicut & hactenus quidam Orientalium facere perhibentur à *VValafr. Strab. de rebus Eccl. c. 24.* temporis tamen successu Sacerdotalis habitus factus est, unde Sacerdotes quoque *Sulpit. Sev. vit. Mart.* appellat *Agmina Palliata*; at pallium non fuisse vulgare apud Græcos, sed peculiare, uti apud Philosophos ostendit *Tertull. de pallio.* Quod si jam causam inquisieris, cur *Pallio* usi sint Clerici, subjici potest hæc, ut imitarentur Christum & Apostolos

d 2

si-

simili vestitus genere descriptos: De illo enim ex *Joh. 19. vers. 23.* constat, quod *ιμάτια* gesserit, tunicam & pallium: PALLIUM autem erat quadrangulare, unde ex quatuor angulis quatuor partes fecerunt milites, tunicam verò indivisam reliquerunt. Quod autem Apostoli quoq; gesserint pallia, legimus *Act. 12. v. 8.* Pari ratione soli olim sacerdotes, non communiter Christiani pallio usi sunt, ut certum esset status Ecclesiastici discrimen; putat enim D. THOMAS *3. parte q. 83. art. 3. & secunda secunda q. 102. art. 4.* quod pius & externus apparatus vestimentorum excitet Sacerdotes ad contemplandas res sacras, quod Moyse etiam Deus innuisse videatur *Exod. 29. Faciesq; vestem Sacram Aaroni fratri tuo in gloriam & decorem.*

§. II. Ex ipsis itaque primordiis Ecclesiæ usus est hujus PALLII: Siquidem R U BERTUS ABBAS *de divin. offic. l. 1. c. 27.* refert: Treveris servari pallium Sancti Materni, quem Petrus Apostolus Episcopum ordinavit: Anastasius Bibliothecarius refert fuisse

con-

concessum à Sancto Marco Rom. Pontifice
 sub Constantino Imper. Episcopo Ostiensi,
 ut etiam *Baronius* sub anno 336. memorat.
 Verum enim verò isto tempore nondum tan-
 ta fuit Pallii auctoritas, quàm cum postea di-
 ceretur esse insigne plenitudinis pontificalis,
 & per hoc nomen Archi-Episcopi vel Patriar-
 chæ conferri, *c. nisi specialis X. 3. Ec. cum sis. 6.*
X. de usu & auct. pallii; Ea namque post-
 modum hujus pallii facta est auctoritas, ut Ar-
 chi-Episcopo ante id obtentum nec Episco-
 pos consecrare, nec Basilicas dedicare, nec
 Synodum aut Concilium congregare vel con-
 vocare, nec Chrisma conficere, nec Cle-
 ricos ordinare liceat, *c. 28. quod sicut, X. pra-*
terea X. de Elect. & Elect. potest. consecrandi
 potestatem quod attinet, tùm ea erat olim
 apud Summum Pontificem, verùm hoc si-
 gno & hæc facultas Archi-Episcopis fuit con-
 cessa.

d 3

§. III.

§. III. Auctoritatem hujus Pallii indicat & M. A. de DOMINIS lib. 3. th. 11. num. 13. cum refert, quod Gregorius secundus Bonifacio Moguntino, pallium ipse miserit seqq. verbis: *Tibi sacri pallii direximus munus, quod B. Petri Apostoli auctoritate suscipiens induaris: atque inter Archi-Episcopos unus Deo autore, precipimus ut censearis, ita ut dum Missarum solennia geris, vel Episcopum te contigerit consecrare, illo utaris, ut juxta Sacrorum Canonum Statuta, ubi multitudo excreverit fidelium, ex vigore Apostolicae sedis, debeas ordinare Episcopos.* Quod si fides Casalio de veter. ritibus Christ. p. 159. habenda est, verba Summi Pontificis in traditione pallii ita haberi solent: *Ad honorem Dei, & Sanctae Mariae Virginis, & beatorum Apostolorum, Petri & Pauli, & S. Romanae Ecclesiae, atque commissae Tibi Ecclesiae: tradimus Tibi pallium de corpore B. petri sumptum, plenitudinem sc. pontificalis officii, ut utaris intra Ecclesiam certis diebus, qui nominantur in pri-*

vilegiis ab Apostolica sede concessis, & in eo potestatem habeas consecrandi Episcopos, & celebrandi concilia. Alii autem autores in explicando pallii hujus usu egregiè variant: *Isidor.* enim *Pelusiota l. 1. ep. cap 136. ad Hermin.* quem refert *Baronius* ad annum 336. pallio, inquit, quia ex lana non ex lino constet, admoneri Episcopum, ut ovem errantem, si fortè habuerit, humeris suis tollat, eamque magni Pastoris exemplo ad gregem reducat. *Alcuinus* verò *Pallii* usum ideò introductum esse autumat, ut ordines Ecclesiastici accuratius distinguerentur, *Pallium*, inquit, *Archi-Episcoporum super omnia indumenta est, ut lamina in fronte Pontificis, sicuti est discretio inter Archi-Episcopum & ejus suffraganeos.*

§. IV. Hic dubium movere quis posset cum ex *Pallio* omnis dependeat *Archi-Episcoporum* auctoritas, an tum etiam *Electores Ecclesiastici*, licet nondum à Pontifice pallium susceperint, nec infultati aut confirmati fuerint, jus suffragandi in Comitibus Imperii & Im-

Imperatorem eligendi nihilominus habeant?
 Affirmativæ sententiæ communiter D D. sub-
 scribunt ex ratione, quam ferè omnes afferunt;
 quod scil. hæc omnia ipsis competant, non ut
 personis Ecclesiasticis, sed ut Imperii Germa-
 nici Principibus, iisque aliquando seu tractu
 temporis, seu singulari quâdam constitutione
 designatis, ut ratione Principatum, quibus
 præsumt, potestatem eligendi Imperatorem
 Romanum haberent, *Mynsin. cent 5. obs. 58.*
Gail. 1. observ. 3. n. 1. eosdem quoque aliquoties
 nomine hoc in A. B. Caroli IV. indigitari, pa-
 tet abunde ex *c. 1. in pr. §. 2. 3. 5. Et seqq. c. 2. c. 3.*
c. 4. in pr. c. 7. in pr. c. 10. in fin. In persona ete-
 nim ista, quæ duplici respectu conspicua, ea
 spectanda venit qualitas cujus respectu actus
 peragendus, *l. 15. §. 1. ff. de adopt. Gylman. l. 1.*
decis. Cameral. n. 2. de praxi & observantia mi-
 nimè gentium dubitari poterit, non enim u-
 num vel alterum sed plurima nobis in promptu
 sunt exempla quæ hoc comprobant: Anno
 1355. Daniel electus Moguntinus. anno 59. Jo-
 hannes

hannes Gebhardus, anno 64. 66. 67. Fridericus electus Coloniensis, anno 67. Jacobus Trevirensis, anno 70. 71. 76. Valentinus electus Coloniensis, anno 82. V Volfangus electus Moguntinus, hi Recessibus Imperii subscripsisse cognoscuntur, unde colligere licet, eosdem ad collegium Electorale admissos fuisse, *Buxtorf. ad c. 1. A. B. th. 18. lit. b.* Diffiteri quidem non possumus, sæpe numero Papam Romanum observationibus recensitis, & publicè & privatim contradixisse, & ut Archiepiscopi tamdiu ab usu auctoritatis publicæ coërcerentur, donec pallium eo, quo par est, more petiissent, graviter sollicitasset, Cæsares tamen jure suo meritò hæcenus usi sunt, neque quicquam sibi à Papa in hoc genere præscribi sustinuerunt; Inprimis verò suspensa Jurisdictione Pontificis, per pacificationem religiosam, auctoritas Pontificis non leviter exspiravit, uti ait *BERTRAMUS de Comit. §. 35.*

E

§. V.

§. V. Usus *Pallii* subsistit solum in persona impetrantis ; Archi-Episcopus enim ipse pallio uti debet , ut alteri Archi-Episcopo commodare nequeat , personæ etenim cohæret , eaque defunctâ *Pallium* cum ea simul sepeliri debet , c. 2. X. de auct. & usu pallii. Nec licet Antecessoris uti pallio , sed quisque tenetur illud Romæ sibi comparare , & qui forte vel permutatione , vel quavis alia ratione fit alterius Ecclesiæ Patriarcha seu Metropolitanus , licet antea sibi paravit illud , necesse tamen habet , ut iterum emat , dum enim semel impudentiæ limites transgressi sunt Pontifices , subinde pallii usum & sumptuum multitudinem nimio opere auxerunt , ut avaritiam suam copiosius explerent. Utuntur autem solum eo Archi-Episcopi intra quamlibet sibi commissæ Ecclesiæ provinciam c. 1. X. cit. loco. extra provinciam non utentur , nec omnibus diebus uti poterunt , sed tantum certis stisque c. 4. ad honorem X. cit. l.

§. VI.

§. VI. Alexandrino quidem Patriarcha demortuo à successore pallium detrahebatur de collo, quod sibi successor imponebat, & hoc in Oriente moris erat, restante M. A. de *Dom. cit. loco.* poterat quoque olim à successoribus per literas peti, Hildebrandus tamen Papa uti dictum capite II. primum effecit, ut qui hoc petebant, ipsi Romam venirent, eum in finem, ut eò carius mercarentur. Constat etiam priscis temporibus hæc tantum ab accepturo pallium requisita esse, ut fidem suam exponeret Patriarchæ suo, ut constaret sibi cum Ecclesia convenire de fide, verum addidit Paschalis II. ut accepturi pallium, iuramento fidelitatis se obstringerent *c. 4. X. de Elect. potest.* quo autem magis magisque ad redimendum hocce pallium Episcopi adstringerentur, illud intra tres menses à consecratione, vel si quis jam ante consecratus, & transferatur postea, à confirmatione intra tres menses poti jussi sunt, hoc si tempus neglexerint à dignitate removentur, *c. 1. dist. 100.*

§. VII. Piscator quoquo Romanus, quo foecundior esset hic acquirendi modus, certum hujus pallii statuit pretium, quod adeò in immensum crevit, ut integras provincias ad redimendum illud expilari oporteret: & quis miretur totas per hanc exactiorem exhauriri provincias? In vita etenim unius hominis septies viginti quinque millia florenorum à solo Archi-Episcopatu Moguntino pro confirmatione & redemptione pallii Romam pervenerunt, ut referunt jurispubl. commentatores *Sleid. Et alii.* Non pigrabimur hic querelam Germanorum ex Remonstr. Gravam. ad Maximil. I. & quidem Rem. 2. & 3. ut materia nostra dilucidior evadat, apponere:
 Der Stuel zu Männk hat vor Zeiten nur zehentausend Floren gegeben / welche / als auff einmahl ein erwählter allda Bischoff nicht wolte erlegen / und sich auch bis an den Todt sperrete und wegerte / hat der nach ihm erwählte / weil

weil er durstig nach der Confirmation
 war / sich gefürchtet dem Apostolischen
 Stuel zu widersehen / offerierte alsobald
 die alte gewöhnliche Summa / nemlich
 zehentausend Floren nach Rom.
 Aber er konte die Confirmation nicht ehe
 erlangen / biß er auch seines Vorfahren
 zehentausend Floren zugleich erleget / die
 noch unbezahlt ansumden / und war al-
 so gezwungen zwankigttausend Guld-
 en zu erlegen / und nicht allein zwankig-
 tausend sondern fünff und zwankigtau-
 send. Endlich ist es gestiegen auff sie-
 ben und zwankigttausend die der Erzk-
 Bischoff Jacob musste legen / dahero eben
 dieser Jacobus Erzk-Bischoff gesaget /
 es fräncke ihm nicht / daß er sterben mü-
 ßte / und sein vorstehender Todt schmer-
 kete ihn nicht so sehr / als das Gemige / so
 seine arme Unterthanen wieder vor das



pallium eine so grosse Schatzung geben
 müssen / *Syring. de Pac. relig. th. 16.* Tan-
 tam ex unico hoc Episcopatu per modicum
 temporis spatium acquisivit Pontifex sum-
 mam pecuniæ, cum autem sint eorum multi,
 colligi poterit, quantum Romana ista vorago
 ex aliis Episcopatibus hactenus extorserit: Re-
 dimitur quippe pallium uti dictum 25. millibus
 aureorum, & antequam domum perfertur
 3000. aureorum constare dicitur. Illi igitur i-
 psi Doctores qui Germaniæ salutem anxie
 quærunt, vehementissimè ingemiscunt huic
 tyrannidi Papatus, quod specioso & audaci
 hoc titulo pallii plurimam argenti summam
 ipsis Archi-Episcopatibus & Episcopatibus e-
 ripiat, & cum ipso Dei verbo mercaturam ex-
 erceat sordidissimam.

§. IIX. Ultimo loco heic quæri potest
 an si mortuo Electore Ecclesiastico, antequam
 alius à Capitulo sit electus, Imperatorem eli-
 gendi necessitas emergeat, an sede vacante ca-
 pitulum, quæ electoris erant, peragere pos-
 sit,

fit, cum tamen Capitulum pallio destituatur?
 Facile autem responderi posse arbitramur,
 quod sicut auctoritas Electoralis non à pallio
 dependet, prout paulò ante ostensum, ita nec
 Capituli dignitas à pallio vim suam trahat,
 præcipuè in exercitio illarum rerum, quæ ad
 forensia negotia, quæ inter est electio Cæsaris,
 spectant. Quanquam & illud addi maximè
 velimus, Capitulum vacuâ sede Electorali,
 nunquam posse eligere Imperatorem, quia
 potestas eligendi Electori competit non ut E-
 piscopo, sed ut Principi. Atque hanc sen-
 tentiam confirmat Carolus IV. A. B. c. 1. §. 19.
 Sanciens : Si Archi-Episcopus Moguntinus
 in intimatione futuræ electionis negligens, &
 plus æquo remissior existat, quod tunc Co-
 Electores motu proprio convenire possint &
 debeant : Jam verò si Electio Imperatoris ad
 ea, quæ Electori ut Episcopo competunt, per-
 tineret, nunquam Imperator illud consti-
 tuisset uti patet.

CAP. V.

CAPUT V.

DE

ABUSU PALLII ET
JURIBUS PROTESTANTI-
UM CIRCA PALLIUM
RECEPTIS

§. I.



Vid igitur exactiōibus Pon-
tificum iniquissimis opponi debeat,
haud difficile iudicatu ex eo est, quod
ipsi Pontificii scriptores aut non ausint, aut
non possint eas probare & defendere : sin-
gulariter enim heic notandum, quod vi veri-
tatis admoniti adversarii frigide pallia hæc iu-
venalia excusent, neque ullam vel ex scriptura
vel ex puriori Ecclesia primitiva rationem im-
mensis hisce sumptibus conciliare soleant.

§. II. Nos verò primùm opponimus
scripturam sacram, in quâ nullum ejus exstat
vestigium, quod sacra munera argento auro-

ve

ve vendi debeant, quæ potius præcipit, ut gratis conferantur. Deinde etiam ipsi sacrorum conventuum canones anathematis sententia damnant sacrorum officiorum tam venditores, quam emptores, *c. quos constiterit, c. Reperiantur, c. si quis Episcopus l. q. 1.* Atque ad eò ipsi Pontifices canonum poenam incurunt. Exstat etiam in Jure Canonico expressus canon, qui hanc pallii nundinationem improbat & tanquam incongruum, facto concilio ante corpus Beati Petri Apostolorum Principis, tam de hoc, quam de ordinationibus aliquid accipere, sub districta interdictione vetuit, *c. Novit. dist. 100.*

§. III. Accedit huc, quod ipse Albertus Crantzius in Metropoli sua *l. 2. p. m. 44.* licet alias tenacissimè errores papatus defendat, in historia de pallio emendo etiam atque etiam laudet Leonem secundum, quod piissimo Zelo tactus instituerit, ne Archi-Episcopi pro pallii usu quicquam persolverent: Quibus jam statim laudatus Crantzius suspirium hoc

F

ad-

adjungit, *utinam*, inquit, *Et illud hodie ser-
varetur ! sed alia sunt tempora* : Ecquid
manifestius contra *Pallii* abusum dici potest ?

§. IV. Quanto etiam opere hactenus
inclyta Germanorum natio Papatus sordidis
nundinationibus contradixit, tum ex grava-
minibus seculo proximè superiori anno 22.
productis, tum etiam ex *Sleid. l. 13. Et Goldast.
in Reichs-Sak / p. 215. Von Beschwer-
den des Römischen Reichs wieder des
Pabsts zu Rom Heikigkeit / patet lu-
culentissimè.*

§. V. Hodie per pacem religiosam &
Instrum. Pac. Archi-Episcopi & Episcopi Au-
gustanæ Confessionis pallium & confirma-
tionem à Pontifice Romano petere non tenen-
tur, quia Imperator hodie secundum vigo-
rem constitutionis religiosæ, qua Jurisdictio
Ecclesiastica suspensa est, non expectata con-
firmatione papali Archi-Episc. & Episcopos
Evangelicæ Religionis de Episcopatibus ut pote
feu-

feudis imperii investire & investitis Regalia conferre debet ; & sic postulatione & electione legitimè facta , ac investitura debito modo impetrata in suis Dioecesibus jure fruuntur plenissimo.

§. VI. Felices igitur meritò Evangelicæ orbis Ecclesiæ sunt prædicandæ, in quibus suspensa vel restituta potius Jurisdictione Ecclesiasticâ, Episcopi & Principes ab exactio- nibus papalibus immunes jura episcopalia hodiè exercent. Quod si id, quod majesta- tis civilis est, intueamur, illi ipsi magna infer- tur injuria, dum Ecclesias insatiabilis Pontifex exinanit, ac ferè depopulatur : Ad quo sine dubio respicit Capitulatio Osnabrugensis, dum ita infit : Si quid Annatarum, jurium pallii, Confirmationum, Mensium pa- palium, & hujusmodi jurium & reser- vationum nomine in bonis Statuum Augustanæ Confessionis Ecclesiasticis im-

immediatis à quocunque , quodocunque
 aut quomodocunque prætendatur , id validi-
 tate & executione à brachio seculari imperti-
 enda careat.

§. VII. Atque hæc præcipua fuerunt,
 quæ tum temporis tum ingenii tenuitate ex-
 clusus de *Pallio* congerere volui ; quod si
 ubique summam iudicii acrimoniam non o-
 stentavero ; veniam à B. L. mihi in re dubiæ
 & sublextæ fidei facile polliceor. Cæterum
 DEO O. M. gratias ex toto corde ago prolixis-
 simas quod mihi hætenus assistere voluerit
 benignissimè , eumque rogo calidissimis vo-
 tis , ut porrò omnia instituta mea ad suam glo-
 riam , meam meorumq; salutem dirigat
 sempiternam.

TANTUM!

COROLLARIA.

I.

Pacta confraternitatis de mutua successione, cum utilitatis multum in se contineant, paci etenim publicæ conferunt ac profunt, quare à multis pro illicitis habeantur rationes non video.

II. An testamentaria tutela in Electoralibus locum habeat, & postponat legitimam quæstio est? Sunt qui volunt quæstionem hanc in suspenso potius esse relinquendam, quam certi quid de ea statuendum: Verum iis, quibus hæc in re dubium residet, scrupulum non eximunt, potius eligenda affirmativa sententia, quam eleganter defendunt *Dionys. Gothofr. in tract. de tut. Elect. legit. exclud. Marq. Freh. in comm. ad A. B.*

III. In Comitibus Status Imperii etsi non impediti per legatos comparere posse existimo; Princeps enim ut provincia excedat cogi non potest, nec tenetur sumptus majores facere, si iis parcere possit.

f 3

IV.

IV. Tempore Interregni ab A. B. recedendum non est.

V. Assertio eorum qui statuunt Germanum tantum in Imperatorem eligi posse, sat firmis nititur rationibus.

VI. Sunt qui negant Superioritatem Statuum ac Principum Imperii esse dependentem, affirmativam defendendam suscipio.

VII. Variæ variorum D D. sunt opiniones de immediatis nobilibus, an sint Status Imperii nec ne? Negativam Reinkingius & Sixtinus fovent sententiam nec improbabiler.

VIII. Feudum quin recipiat prædicatum contractus in dubium vix trahi poterit.

IX. Duces militares sive alios Officiarios Bellicos rectè dici Magistratus patet ex *l. 3. ff. de re milit. & l. 6. § ult. C. de jurisdic. nec obstant quæ proposuit Sutholt. Disp. de Jurisdic. n. 93. & seqq.*

X. Non pauca quidem sunt actiones ex æquo & bono, & in æquum & bonum conceptæ, quæ tamen ad actiones b. f. neutiquam sunt

funt referendæ, firmum itaque illud esto fundamentum, actio ex æquo & bono introducta non statim est bonæ fidei, quicquid etiam statuatur *Egvin. Bar.* ad §. 28. J. de Act. *Coras. Hotom. Vult. Duar.*

X. Actiones mixtas tam in rem quam in personam contra Ludvelli assertum agnosco præprimis verò eas, quæ in §. 26. J. de Act. referuntur; hereditatis quippe petitio saltem per accidens dicitur talis.

XII. Non transfertur per sententiam in omni iudicio dominium, si domini quæstio in ea actione versetur, proinde malè agunt, qui generaliter ea accipiunt, quæ Imp. in §. ult. J. de Off. J. proponit: adjudicatum istis iudiciis, statim ejus fieri, cui adjudicatum est, pertinet hoc tantum ad tria iudicia divisoria, nim. famil. erciscendæ, comm. divid. & fin. regund.

XIII. Exceptio non numeratæ pecuniæ per se perpetua, ratione autem sui privilegii tantum ultra biennium extendi non debet.

XIV.

QXTH 4114

XIV. Sunt sanè DD. non pauci qui statuunt usucapionem contrariari juri naturæ inter quos *Borcholt.* ad princ. J. de Usucap. *Sutholt.* disp. 6. thes. 4. *Hunnus*, *Bald.* *Cujacius*, Aridet tamen mihi sententia eorum qui eam neutiquam Juri Divino & naturali æquitati contrariam esse asserunt.

XV. Promitti servitus futuro prædio, Constitui verò non nisi præsentis & existantis potest: Ususfructum sub conditione constitui posse & in eo à servitutibus Realibus cum distingui nonnulli DD. volunt, non tamen hanc meam facio sententiam, sed contrariæ opinioni subscribo.

XVI. Hereditas si vendita fuerit, quæri solet ad quem jus accrescendi pertineat? ad emptorem illud pertinere existimo, vicem enim heredis obtinet emptor, & proinde ad eum pertinet, non tantum id quod tempore venditionis pervenit, sed etiam quod aliquando perventurum est.

XVII. Quæstio est an is beneficium legis 2. C. de rescind. vend. habere possit, qui jurat se a contractu non discessurum? defensor negativam.

XVIII. Cum ex hereditate nec patriam potestatem, nec jus civitatis extinguat, proinde à Patre filio exhereditato tutorem dari posse assero.


XIX. Oblatæ in certum pium usum, si iste usus deficiat, vel in ipsum legatum converti nequeat, ad aliam piam causam impendenda sunt.

XX. Legata ad causam, quæ olim putabatur pia, veluti ad celebrationem missarum, invocationem sanctorum, usum Monasteriorum, cessante hodiè illa causa, non revocantur, nec ad heredes testatoris pertinent.



BI
PON

CHRIST
P
DISP



ti
an
d
c
t
a
f
8
c

